

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Gesammelte Schriften

Philologische Schriften

**Mommsen, Theodor**

**Berlin, 1909**

XIX. Anecdoton Livianum

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1925](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1925)

XIX.

Anecdoton Livianum.\*)

[*Liuius libro uicesimo. P. Celius patricius primus 372 aduersus ueterem morem intra septimum cognationis gradum duxit uxorem. ob hoc M. Rutilius plebeius sponsam sibi praeripi nouo exemplo nuptiarum dicens sedicionem populi concitauit adeo ut patres territi in Capitolium perfugerent.*]

Ex periochis Livianis quas habemus cum constet comprehensas fuisse T. Livii annali XX res gestas ab anno urbis conditae DXIII ad annum DXXXV, qui proxime praecessit eum quo coepit bellum Hannibalicum, ad id tempus referre licebit rixam eam, de qua 373 agitur, de puellae cuiusdam sponsalibus inter patricium hominem plebeiumque natam indeque ortam civium dissensionem senatusque in Capitolium fugam. aliunde eius rei notitia nulla ad nos pervenit, neque facile id quod iam didicimus recte percipi et plene intellegi, quas

\*) [Hermes 4, 1870, S. 372—376. Diesem Aufsatz unmittelbar vorausgeht eine Mitteilung von Paul Krüger, aus der das zum Verständnis des Mommsenschen Aufsatzes Notwendige hier abgedruckt ist: „Cum in codice Parisiensi Latino 3858 C (saec. XII exeuntis) quaererem quasdam constitutiones codicis Iustiniani, quas ibi legi Biener (Beiträge zur Revision des Justin. Codex p. 230) docuit, praeter expectationem incidi in fragmentum quoddam Livianum. in collectionis enim canonum secundum rerum ordinem compositae, quae folia 1—55 occupat duabusque partibus constat parte priore capitum CCCCLXXXII, quae titulo caret (altera autem inscripta *de ordine accusationum* XCVIII habet capita), quattuor occurrunt capita generis diversi ab reliquis, quae sunt excerpta ex decretis conciliorum et Romanorum pontificum epistulis. quorum quattuor capitum tria (CCCCXVIII—CCCCXX) exscripta sunt ex codice Iustiniano cum praescriptione hac ‘ex quinto libro regum’; quartum caput, quod in codice habet numerum CCCCVII, infra posui.“ Es folgt dann das von mir zur Bequemlichkeit der Leser oben in den Text gesetzte Anecdoton, an das sich, nach wenigen Bemerkungen Krügers, der oben abgedruckte Mommsensche Aufsatz anschließt.]



subieci observationes demonstrabunt. nam quae insperato emersit narrationis plenae et iustae summa et obscura et exilis cum quaestionem unam solvat, plures movet.

I. Ad originem huiusce *ἁποσπασματίου* definiendam non habeo quod afferam, nisi quod in memoriam revocavit periochae, quae inter nostras prima est, condicionem singularem, nempe ita comparatae, ut libri primi brevem summam sequatur altera aliquanto magis prolixa. videntur igitur Livianorum annalium duae certe summae extitisse, quas contaminare coepit librarius is a quo proficiscitur periocharum recensio hodie superstes. fieri igitur potuit, ut ecclesiastici corporis cuiusdam conditor in summam Livii uberiores incidere et inde exciperet quod a monacho non alienum esse putaret. ceterum iuris canonici periti ut in corporis, quo Liviana haec continentur, originem diligenter inquirant, nomine philologorum publice ab iis petimus<sup>1</sup>.

II. Qui nominantur duo homines *P. Caelius patricius* et *M. Rutilius plebeius*, eorum primum vere dici *P. Cloelium* paene certum est. gentes enim patricias, quae quidem ad sextum usque saeculum duraverint, omnes nobis innotuisse credibile est neque ulla est inter eas praeter Cloeliam, quae ad traditam lectionem prope accedat; Cloelius autem vocabulum librariis minus notum alibi quoque, ut apud Livium 40, 42, [1] et Valerium Maximum 1, 1, 4 et Diodorum 15, 57, [1] aut in omnibus aut in deterioribus libris invenitur similiter corruptum. denique Publii praenomen Cloeliis recte convenit; nam nominantur *P. Cloelius Siculus* tribunus militum cos. pot. a. u. c. 376 (Liv. 6, 31, [1]; Diodor. 15, 57, [1]) et eiusdem nominis vir flamen Dialis creatus a. u. c. 574 (Liv. 40, 42, [11]; Val. Max. l. c.); quorum nihil obstat quominus is de quo agitur alterius nepos proneposve

1) Litteraturae iuris canonici peritissimus Maassenus antecessor Gratzensis per litteras a me interrogatus, quid de hac sylloge comperisset, rescripsit eam se repperisse praeter Parisinum in tribus codicibus his: Monacensi 22289 saec. XII; Sangallensi 676 saec. XII; Ambrosiano C 51 sup. saec. XII eandemque comprehendi videri secundum ea quae leguntur in Archivio Pertzii vol. 7 p. 179 item codice adservato Engelbergi in Helvetia I<sup>4</sup>/<sub>2</sub>. in Monacensi Sangallensi Engelbergensi syllogae praescriptum esse sic: *incipiunt ecclesiasticae regulae ex sententiis sanctorum patrum deploratae, a legatis ipsius sedis apostolicae in Gallias pro ecclesiasticarum dispositione causarum portatae*. accuratius de ea adhuc sibi non constare: plurima tamen inesse ex commenticiis Isidorianis quae feruntur desumpta itaque antiquioribus iuris canonici corporibus eam nequaquam adnumerari. — Qua epistula accepta Halmium meum precibus adii, ut Monacensem librum mea causa inspiceret; quod cum fecisset, renuntiavit eum mutilum esse in fine neque ea de quibus agitur eo contineri.



fuerit, alterius pater vel avus. Rutiliorum autem plebeiae gentis haec fortasse antiquissima memoria superest; nam reiecto corrupto loco Livii 4, 47, [7] nullus eius nominis quod sciam nominatur ante P. Rutilium tribunum plebis a. u. c. 585 (Liv. 43, 16, 3. 44, 16, 8). praenomen Marci ab ea genti septimo saeculo incipiente usurpatum esse intellegitur ex Cicerone de orat. 1, 40, 181, ubi commemoratur P. Rutilius M. f. tr. pl. a. u. c. 618. neutrum hominem alibi apud auctores qui supersunt nominari ex supra dictis intellegitur.

III. Matrimonia olim vetita fuisse inter eos, qui sexto propioreve gradu cognatione iungerentur recte Klenzius<sup>1</sup> collegit cum ex Plutarcho q. R. 6, ubi negat apud veteres Romanos licitum fuisse inter cognatos matrimonium ita, ut id componat cum iure osculi, quod pervenisse usque ad sobrinos (ἐξαιρετικούς) Polybius ait (6, 2, 6 Dind.), tum ex argumento eo, quo L. Vitellius Claudii imperatoris amicus apud Tacitum (ann. 12, 6) novum patrum cum fratris filia coniugium defendit: *et sobrinarum diu ignorata tempore addito percrebuisse*. a quo loco omnino alienum esse sobrini vocabuli usum vulgarem, quo qui proprie consobrinus est ita significatur, et recte monuit Klenzius et iam qui Klenzio non crediderunt, credent Livio. nam aperte eam ipsam annalium narrationem, cuius ex Parisino libro aliquam summam recuperavimus, respexit sive Tacitus sive Vitellius<sup>2</sup>, cum ait sobrinarum matrimonia olim vetita postea in usu esse coepisse. hoc autem novi attulit summa Parisina intra sextum gradum nuptias primum admissas esse lege lata inter a. 513 et 535, id est eodem fere tempore, cui primum apud Romanos divortium plerique auctores adscribunt. lege enim ad eam rem, maxime ea aetate, opus fuisse et aliunde constat et colligitur ex ipsa Liviana narratione. nam novi exempli matrimonium qui aegre ferebant, apparet incusasse propterea non tam eum, qui primus intra septimum gradum cognatam duxisset, 375 quam ipsum senatum, quippe ex cuius auctoritate tum de omni re ad populum plebemve ferri soleret.

Hoc superest quaerendum, quemnam abrogato sexto lex ea gradum vetiti matrimonii finem fecerit, quem puto fuisse quartum. nam Plutarchus l. c. ait sero (ὀψέ) admodum coniugia inter consobrinos admissa esse occasionemque addit iuris mutati; nimirum cum a marito quodam paupere, qui consobrinam locupletem pro uxore

1) In ephemeride iuris Savigniana 6, 17 seq. 100.

2) Collatis iis quae Seneca ludit in ἀπολοκωννιώσει c. 8 satis constat talia fere, qualia disserentem Tacitus inducit Vitellium vere a nuptiarum novi generis patronis in senatu prolata esse.



duxisset, rem eius mulieris tamquam non factam uxoriam cognati mulieris peterent, populum de ea re indignatum matrimonia inter consobrinos rata esse iussisse. quae lex quamquam ignoratur quo tempore lata sit<sup>1</sup>, tamen Plutarchi narratio satis ostendit aliquamdiu liciti matrimonii fines constitisse in gradu quinto, scilicet ab initio inde saeculi sexti usque ad latam legem eam quae quarto gradu cognatorum matrimonia admisit. similiter Ulpianus<sup>3</sup>, antiquiora aut ignorans aut praetermittens, liciti matrimonii finem ait fuisse olim gradum quartum, donec imperante Claudio a. p. C. 49 aliquatenus accederet tertius.

IV. In narratione supra proposita offensionem habet patricii plebeique commemoratio. causa offensionis non tam ea est, quod ea aetate controversiae inter patricos et plebeios sopitae fuerunt privilegiis illorum sublatis; nam etiam post legem Hortensiam c. a. u. c. 465 latam, quae iuris communicationem perfecit, altercationes maxime ex privatis causis inter utrosque nasci potuisse nemo negabit neque obliviscemur Sallustii gravis auctoris asseverantis<sup>3</sup> *discordiarum et certaminis utrimque finem fuisse secundum bellum Punicum*. sed hoc quaerimus, cum propter controversiam hanc appareat non solum  
376 homines, sed etiam ordines dissedissee (nam sane non sine causa adicitur iuris mutati auctorem patricium fuisse, vetusti usus vindicem plebeium, neque improbabile est ad hanc ipsam controversiam respexisse Sallustium loco modo citato), hoc dico iure quaerimus, qua ratione eius modi res ad ipsos ordines pertinuerit. lege enim nuptiali cum cives quicumque essent tenerentur, quid ad rem sponsum destitutum ex plebe fuisse, nuptiarum ereptorem patricium? num aliter res processisset, si uterque patricius fuisset vel uterque plebeius? sane nuptiarum ordinatio legitima pars fuit iuris gentilicii olim mere patricii et cum plebeis ita communicati, ut proprie etiam postea ad patricos pertinere videretur; quapropter eius iuris immu-

1) Lata sit necesse est tempore belli Punici secundi, si vere rettulit Livius 42, 34, [3] ad a. u. c. 583 de eiusmodi matrimonio eo tempore iam vetere. sed exigua auctoritas est eiusmodi narrationum non rerum ordine, sed in orationibus obiter prolatarum videturque tam ipsius Livii silentium, cuius per hoc spatium annales supersunt integri, quam Plutarchi temporis indicatio eo ducere, ut quarti gradus adsumptio septimo saeculo potius quam sexto adscribatur.

2) 5, 6: *inter cognatos . . . ex transverso gradu olim quidem usque ad quartum gradum matrimonia contrahi non poterant: nunc autem etiam ex tertio gradu licet uxorem ducere*. ex opposito intellegitur ante Claudium finem vetiti matrimonii fuisse tertium gradum, quartum autem ab Ulpiano non includi olim vetitis, sed excludi; quo posito convenit ei cum Plutarcho. cf. Zimmern Rechtsgesch. 1, 550.

3) hist. 1, 9 Dietsch. [1, 11 Maur.]

tatio a patricio homine ita profecta, ut plebeium gravaret, universam plebem exacerbare debuit. crediderim tamen aliud quiddam subesse gravius et magis proprium, quod iam sive propter narrationis obscuritatem sive propter iuris antiquissimi exilem notitiam non satis adsequamur.

V. Unum superest, de quo moneamus, dico seditionem populi ea aetate, qua adhuc putavimus plebem in eiusmodi motibus a vi abstinuisse neque ultra processisse, ubi ad extrema ventum esse videretur, quam ut secederet vel in sacrum montem vel in Ianiculum; qui finis fuit ipsius seditionis Hortensianae a. 467. certo mirabuntur rerum Romanarum gnari, ubi legent de fuga senatorum ex curia in Capitolium propter seditionem populi propediem cum Hannibale dimicaturi. sed ut mirandi causa iusta est, ita nulla est dubitandi.